





DISSERTATIO JURIDICA
DE

LITERIS
AMATORIIS,

Vulgo :
Von Liebes = Buhlen = oder Jung=
fer. Brieffen in und auffer der Ehe.

Quam
PRÆSIDE
PETRO MÜLLERO D.
ET PROF.

ad d. Mart. 1679.
publice ventilandam exhibet
BERNHARD Pfresschner /
GERA VARISCUS.

EDITIO SEXTA.

J E N Æ,

TYPIS HELLERIANIS , ANNO 1717.

1679,22^c 17.

4

4



11

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is difficult to decipher due to its light color and the texture of the paper.]





Cum DEO!

SINE PROOEMIO.

THESIS I.



*L*iteras (quarum inventores primos di- Unde de-
cunt Phoenices, Isidor. *lib. 1. c. 3. de ori- riventur*
ginib. unde Lucanus: litera.

*Phoenices primi, fama si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare fi-
guris)*

nonnulli derivant a *lino*, quia quod scribitur, leviter chartæ illinitur, h. e. inducitur. Alii a *lituris*, quod in ceratis tabulis scribere, ac postea delere antiqui fuerint soliti, uti nostris moribus literæ chartis illiniuntur, unde facili negotio iterum deleri possunt, Melancht. *in Orthogr. cap. 1.* Alii a *lineaturis*, quasi exemptis ex prisca nominis origine aliquot elementis, quum primum dictæ essent lineaturæ, literæ postmodum factæ sint, Becmann. *de orig. lat. ling. p. m. 626.* Alii vocant literas, quasi *legiteras*, quod iterentur legendo, Priscian. *in vestib. lib. 1.* vel quod legenti quasi iter prabeant.

THESIS. II. Apud Latinos literæ proprie signifi. *Quid si-*
cant elementa, *die Buchstaben* dicta, & eatenus distin- *gnificent.*
gvuntur a notis aut signis græcis *σημεία* dictis, quibus
olim acta publica conscribebantur, uti patet ex *l. 33.*
§. 1. ff. ex quib. caus. maj. vig. quinq. annis. l. 40. pr. de mil.



*flament. l. 15. C. eod. l. 11. §. 3. ff. de instit. act. notæ enim non
 sunt literæ l. 6 §. ult. de bon. poss. ibique Gothofr. in not. lit.
 R. nec aliud quid erant notæ, quam compendia quædam
 dictionum præter occultanda animi sensa, etiam ob
 scribendi celeritatem excogitata, vid. Salmuth. ad Pan-
 ciroll tom. 2. rer. memorab. & sumuntur vel generaliter
 pro quacunq; scriptura seu omni instrumento vel do-
 cumento, l. 65. de procurat. Item pro pactis, vulgo **Ver-
 schreibung**/ uti in l. 56. ff. mandat. Calvin. in lexic. jurid.
 sub voc. literæ. Apud Grecos, literas scire nihil aliud deno-
 tat, quam scribere & legere nosse l. 10. §. ult. C. de testam.
 §. 9. Instit. de excus. tut. vel accipiuntur specialiter pro e-
 pistolis & misivis, uti hodie vocant, quas colloquia ab-
 sentium non incommode dixeris cum Aym. Craveta
 in repetit. rubric. de legat. i. n. 121. quoniam per literas
 loquimur cum absente, Cicero lib. 7. ad Attic. epist. 19.
 & qui scribit, loqui videtur l. 21. §. 1. verb. sua voce vel
 literis, ff. qui testamenta facer. poss. Nov. 44. in præf. i-
 bi: quæ charta loquebatur, ut proinde literæ, tanquam
 optimum & congruum instrumentum, non solum vo-
 luntatem scribentis exprimant, juxta Ovid. lib. 3. Trist.
 eclog. 7.*

Litera sermonis fida ministra mei.

Sed promissionem quoque contineant, inducantque
 validam ac efficacem obligationem l. 26. §. 2. ff. de posit.
 l. 24. ff. de constit. pecun. l. 2. ff. de obl. & act. Mascard. de
 probat. conclus. 627. n. 46.

*Varia
 dantur li-
 terarum
 genera.*

THES. III. Varia autem literarum sunt gene-
 ra. Dantur literæ Aggratiandi **Begnadigungs-
 Brieffe** / Cambiales **Wechsel-Brieffe** / Moratoriz
Unstands-Brieffe / Citatoriz **Ladungs-Brieffe** /
Mutui compassus **Compaß-Schreiben** / Reverfales
Re-

Revers oder Gegen = Bekäntnuß / Divortionis
 Scheide-Brieffe / Credentiales Credenz- oder Treu-
 Brieffe / Supplices Anruffs- oder demüthiges Bitt-
 Schreiben / Eucharistica Danck-Brieffe / Danck-
 Schreiben / quas omnes prosequi nec tempus nec in-
 stituti ratio permittit. Nobis jam animus est de
 una tantum specie, de *litteris* scilicet *amatoris*, Liebes-
 Buhlen- oder Jungfer-Brieffen / aliquid profer-
 re.

THES. IV. *Amatoris* inde dicuntur, quod spirent *Quare*
 amatorem, h. e. occultum quandam ignem Virgil. 1. *vocentur*
Aeneid. vers. 693. seu flammam, Idem 4. *Aeneid. v. 66.* Vo- *amato-*
 caturque iste amor, (qui est morio appetitus, per quem *ria?*
 animus unitur illi, quod ipsi pulchrum videtur,) apud
 Virgil. 4. *Aeneid. vers. 2.* *Vulnus ibid. v. 3.* ac Venus, imo
 Furor *vers. 90.* ibi: *Ardet amans Dido traxitque per ossa*
furorem.

THES. V. Quemadmodum vero amor est affe- *Amor ali-*
 ctus in se neque bonus, neque malus; ita pro ratio- *us est bo-*
 ne demum adhaerentis qualitatis, boni scil. vel mali a- *nestus, ali-*
 licujus moralis, in virtutem vel in vitia abit. Hinc *us lasciv-*
 alius est *honestus*, alius *lascivus*. *Ne erremus*, inquit *pus.*
 Guazzius *de civili conversatione dissert. 4. edit. Reisner.*
sciamus, duas esse *Veneres*, alteram in caelo, alteram in *in*
terra. *Hac lascivi, illa honesti amoris mater est.* Lascivus
 amor nihil aliud est, quam passio quaedam animum
 excoecans, ingenium a via recta flectens, tumidum-
 que reddens; imo plane privans memoria, terrenas fa-
 cultates dissipans; Res absque ratione, absque ordine
 absque firmitate ulla; vitium mentis non sana: & de-
 nique libertatis humanae interitus. Breviter: Prin-
 cipium ipsius pavor est; Medium peccatum; Finis

dolor & angor. Amor *honestus* bonorum & laudabilium affectuum causa est. Hic reddit homines affabiles, patientes, magnanimos & rusticitate exuit, familiariter ad societatem reducit, in labore, timore, desiderio, sermone optimus gubernatur; denique humanæ vitæ perfectissimum ornamentum; unde Poëta amorem ita introduxit loquentem:

*Quidquid habet rarum, peregrinum & nobile; id
omne*

Ame, ne dubites, pariter provenit & ipsa.

Gvazz. d. l.

Tales amores indicari solent prolati vel literis.

THESES. VI. Tales amores sibi invicem variis indicare solent modis viisque amantes, modo verbis, opere prolatis, quando forsitan.

Fœmina libros amatorios volvere solesunt.

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem deveniunt; modo literis melle & benevolentia stillantibus (tacebimus, chartam sæpius multo pretiosorem esse, quam ea, quæ scribuntur) præsertim ubi res nostris temporibus eo devenit, ut non modo masculi juvenes scripta pervolant amatoria, atque ex iis elegantiorum sermonum nectant formulas, sed & pupæ illæ delicatulae comtulae & politulae decus arbitrentur fabulas amadisi, & silvas illas amatorias (die Schäffereyen) aliave hujus farinae scripta nocturna versare manu, versare diurna, adeo, ut quam virginem talia ignorare, vel negligere videant istæ Dianæ, eam potius merum rus sapere illico judicent; cum tamen elegantius istis potius evadere videantur in Venerem procliviores, ductuque scriptationis per fretum chartaceum ad amasios libere expatiantur: uti fert sententia M. Antonii Mureti lib. 8. var. lect. cap. 21. dicentis: Mulieres cruditas plerumque esse libidinosas

las, vel uno Sappho teste, neque mirum hoc esse, quia multas legunt historias peccare, ut Flaccus ait, docentes. Quem tamen refutat Lœlius Bistiola *tom. 1. lib. 13. c. 23. fol. 1012.* Neque nos indiscriminatim omnem literaturam improbamus in foeminis, eas potius admittimus literas, quæ ad probos mores informandos conducunt; præsertim si foeminæ sint opulentæ, ut ratio svadeat, in literis potius quam aliis in rebus otium consumi, quia nullum otium honestius, svavius, innocentius, homine dignius, quam literarium. Neque ubique verum est, eruditæ mulieres lascivas esse, quod ipse asserit Ludovic. Vives *lib. de offic. marit. cap. 4. de disciplin. foemin. p. 87.* inquit: *usu venit, & comperi, malas omnes rudes ac ignaras prorsum esse literarum: doctas vero probas & laudis & decoris amantissimas, nec ullam memini vidisse me impudicam doctam. Annon quid vis facilius hebeti & imperitæ calidus & callidus amator persuadebit, quam ingenio atque eruditione septa atque munita?*

Quid de foeminarum eruditione sentientiam?

THESES. VII. Quidquid horum sit, nostra commentatio circa flosculos epistolarum delicatiores in præsentem non occupabitur, de iis videantur alii; neque tractabit familiarium amicorum literas, sed extendet, ut constet, quatenus literæ amatoriz a mare ad foeminam vel vice versa datæ vim & efficaciam habeant inducendi promissionem matrimonii eamque probandi; vel quando lascivius detegitur amor, & patet, qua ratione præsumi possit commissum esse stuprum vel adulterium. In eo, inquit Zasius *inter var. matrimonial. tom. 2. consil. 10. n. 8.* amoris genere mas foeminam non potest insequi, nisi aut inhoneste ad impudicitiam, aut honeste ad matrimonialem

Quorsum præsens discursus tendat?

de

desponsationem. Ut proinde literæ amatoriæ nobis nihil aliud sint, quam scriptura, qua promissio matrimonii inter personas ad contrahendum habiles facta prætendi vel induci ac probari, vel in casu stupri vel adulterii commissi mala opinio vel etiam presumptio fieri possit contra scribentem.

Et Sponsalia & Matrimonium per literas contrahi & probari possunt.

THES. VIII. Quemadmodum vero aliz res, & quidem omnes, quæ consensu perficiuntur, rite per literas celebrari possunt §. unic. Instit. de oblig. ex consens. l. 2. §. 2. ff. de oblig. & act. Ita certum est per literas quoque seu epistolas sponsalia & matrimonium & contrahi & probari l. fin. ff. de sponsal. ibi: in sponsalibus constituendis parvi refert, per se & coram, an per internuncium, vel per epistolam factum est, l. 5. ff. de ritu nupt. cap. fin. de procurat. in 6. e. ex parte 14. de conversat. conjugat. ubi Glossa super verb. internunciis. c. honorantur 13. caus. 32. q. 1. 1. Covarruv. var. resol. tom. 1. de matrim. part. 2. cap. 4. Abbas in c. accedens 24. ad fin. de præbend. Cardin. Tuschus lib. 6. conclus. pract. 985. n. 2. Carol. Ruin. vol. 1. consil. 6. n. 7. Paris. vol. 4. c. 55. in init. Anton. Quetta inter consil. matrimon. Germanor. Nicol. Buckeri tom. 2. cons. 13. n. 2. Coraf. lib. 3. miscellan. c. 4. Darique ejusmodi literas amatorias non minus sacris, quam prophanis exemplis probatur. Sic apud veteres usitatos fuisse ostendit historia Macca-beorum lib. 1. c. 10. ubi Alexander Ptolomæi filiam in uxorem petiit in patriam terram reversus imperioque potitus, Majorumque suorum solium occupans. Similiter matrimonium inter Cæsarem Maximilianum & Caroli Ducis Burgundiæ filiam per epistolam contractum fuit. Filiam enim Caroli jussu Parentis epistolam sua manu conscripsit: se obsequio Parentis con-

conjugium spondere atque promittere velle, seque
matrimonium initiatum consumere paratissimam es-
se omni ratione ac modo, quemadmodum Patri pla-
ceret. Quam epistolam Patri Maximilianus misit Pa-
ter ipsius filiae manu scriptam una cum annulo, cui
gemma adamas erat inclusus, Cominæus *c. 57. & 116.*
& *117.* Apud Everhard. *consil. 178.* extat de puella, quæ
adolescenti conjugium promisit in literis sic formatis:
Nolo alii nubere, quam Tibi, quam promissionem san-
ctissime confirmavit, & ut sponsus ei in amore respon-
deret, hortata est.

THESES. IX. Inprimis vero considerandæ sunt *Conside-*
Personæ scribentes ejusmodi literas, & perpendendum, *randa*
num in eo statu ac conditione sint, quod valide *& sunt per-*
cum affectu contrahendi epistolas mittere possint *sona scri-*
acceptare promissionem matrimonii, quod non pro- *bentes e-*
hibeantur. Si enim scribentes tanquam liberi in Pa- *jusmodi*
rentum adhuc sint potestate, caveant, ne ipsi his in- *litteras.*
ficiis aut invitis talia moliantur; indecorum enim es-
set rem tam arduam lubrico aggredi consilio, æquum
vero, ut Parentibus, qui tot labores, molestias & soli- *Liberi si-*
citudines liberorum causa sustinuerunt, hic honor ha- *ne præsci-*
beatur, ut absque ipsorum præscitu sponsalia neu fiant, *tu ac con-*
inprimis cum saluberrima pro liberis capiant consi- *sensu Pa-*
lia, iisque recte prospicere soleant, ob singularem *rentum*
illam, qua ipsos prosequuntur, affectionem *c. 3. l. 3. &*

B

vers. 16. Non accipies uxorum filii de filiabus earum, *Deut.* 7. v. 3. date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris *Eccles.* 7. vers. 17. Sic Agar accepit filium suo Ismaeli uxorem de terra Ægypti *Gen.* 21. v. 21. quod B. Lutherus singulariter notari jubet, quod Ismael erat homo ferus & agrestis, nec tamen recusavit de consilio matris uxorem ducere. Q. si matrimonium sit promissum absque matris consensu? Equidem de jure civili inspecta patria potestate, quæ in matre deficit, consensus maternus ad nuptias liberorum non requiritur Ludvel. *exerc. Inst.* 2. th. 6. lit. b. Ast moribus nostris materni consensus ratio habenda est, præsertim patre mortuo *l.* 20. *C. de nupt.* quippe honos iste omnino tribuendus matri propter partus & educationis molestias, quas sustinuit, unde Tobias filium suum sedulo exhortatur, ne despiceret matrem: *honora* eam, inquit, omnibus diebus vitæ tuæ, neque contristeris ea.

Q. Si matrimonium sit promissum absque consensu Matris?

Si juvenis puellæ vice versa promiserint invicem in literis matrimonium additis execrationibus; Nisi te in uxorem duxero, Diabolus me abripiat. Num obligetur? Has & similes non obligare promissorem, si neglecto parentum consensu juraverit juvenis, attestato Waremund ab Ehrenberg/ *de fœderib. lib.* 2. *pag.* 92. Sicque in judicio Appellationis Dresdensis pronunciatum fuisse scribit *ibid.* Idem est, si per animam juraverit, ira sentente Asinio *de exec. §.* 1. c. 16. Bald. *in c. etsi* 7. *de jurejur.* neque etiam si per Deum juraverit; obstringuntur, cum non omnia promissa sint solvenda *cap.* 8. *caus.* 22. *qu.* 4. aut quodlibet juramentum servandum. Namque juxta sanctiones legitimas patrum

THE S. X. Quid? Si juvenis puellæ, vel hæc vice versa illi promiserint invicem in literis matrimonium additis execrationibus; Nisi te in uxorem duxero, Diabolus me abripiat. Num obligetur? Has & similes non obligare promissorem, si neglecto parentum consensu juraverit juvenis, attestato Waremund ab Ehrenberg/ *de fœderib. lib.* 2. *pag.* 92. Sicque in judicio Appellationis Dresdensis pronunciatum fuisse scribit *ibid.* Idem est, si per animam juraverit, ira sentente Asinio *de exec. §.* 1. c. 16. Bald. *in c. etsi* 7. *de jurejur.* neque etiam si per Deum juraverit; obstringuntur, cum non omnia promissa sint solvenda *cap.* 8. *caus.* 22. *qu.* 4. aut quodlibet juramentum servandum. Namque juxta sanctiones legitimas patrum

ctum turpe vel rei turpis aut impossibilis de jure nullam obligationem inducit, *cap. ult. X. de pact. in 6. Socin. in reg. 206.* Et cum jura precise velint Parentum consensum adhibendum esse, uti thesi precedente dictum, constat, Juvenem eo casu plane contra jura spondidisse, atque se ad rem impossibilem obligasse; qualis obligatio vitiat & annullat contractum *l. impossibil. ff. de Verb. Oblig.* atque excusat ab excommunicatione *gloss. in c. questio de appellat.* imo tolerabilius est, juramentum non implere, quam facere, quod turpe sit, *de c. 8. caus. 12. qu. 4.* Castiganda tamen est scribentium levitas ad exemplum aliorum, quod tam temere ac illicite juraverint, seu potius execrationes fecerint, uti post Beuffium statuit Daniel Moller *semestr. lib. 1. c. 47.* nempe ut Adolescens propter hujusmodi temerarium juramentum a Magistratu arbitrarie puniatur, D. Præses *in hypomnem. de annulo pronubo th. 17.*

THES. XI. Aliud dicendum est, si Parentes liberis, ut scribant, permittant, imo legant literas amatorias scriptas ad amantes, quibus ejusmodi promissiones matrimoniales fiunt, neque contradicant; eo casu patientia cum scientia habetur pro consensu *l. 1. §. 5. ubi Gloss. in verb. imposuisse ff. de tribut. action. l. amatorias*
4. §. item qui in fin. ff. de precar. Natta lib. 2. consil. 274. permittit
qui enim tacet, consentire videtur, *cap. qui tacet. 43. tant. imo X. de Reg. Jur. in 6.* Et si semel consenserint Parentes liberis, consensus est irrevocabilis, Tiraquell. *d. legib. connubial. gloss. 5. num. 91.* illi enim, qui consensum suum ad actum aliquem præstitit, regulariter non permittitur pœnitere, vel consensum suum revocare *l. n. de servit. præd. rustic. l. iult. ff. commun.*

B 2 præ-

prædior. Tiraquell. de l. gloss. 8. quest. 14. num. 125.

*Furiosus
litteras a-
matorias
nequit
scribere.*

THES. XII. Præterea scribens literas amatorias debet esse sanæ mentis. In furioso enim & amente nimis & peregrinus calor spiritus animales inflammat & circumagitat, ut iis mens uti nesciat, unde ex ejustmodi ineptitudine nec intellectum habere putatur, Magnif. D. Schilter *philosoph. jur. c. 5. §. 2.* ac proinde pro ignorante ac pro invito habetur, quia voluntate caret. *54. ff. de rit. nupt. §. 5. l. 2. §. 2. ff. solut. matrim. l. 4. ff. de divort. l. 14. locat. Q. Num amore nimio incitatus equiparandus sit furioso? Affirm. Quoniam amor judicium subvertit, Boer. decis. 23.* Mihil enim furore amoris vehementius Nov. 74, c. 4. & tales amantes facius jactantiam ostendunt, ac vefanus faciunt promissiones, de quibus recte Minus; *Et amare & sapere vix Deo conceditur.* Hinc amantes nescire dicuntur quid agant, insanire & amantes esse dicuntur quid agant, insanire & amantes esse dicuntur, juxta Petr. Theoderic. *cap. 10. aph. 4. lit. b.* Quod verum esse putamus, si quis-

*An amo-
re nimio
incitatus
equipa-
retur fu-
rioso?*

quis præter rationem stipuletur aut promittat Manz. *ad Instit. de inutilib. stipul. §. 8. n. 6.* ut vere dixerit Propertius: *sine sensu vivere amantes, & Seneca in Hippol. quod ratio possit, vincit ac regnat furor, h. e. insanus amor.*

Pectus in sanum vapor

*Amorque torret, intimat, sevas vorat
Penitus medullas, atque per venas meat.
Visceribus ignis mersus, & venis latens,
Ut agilis alias flammæ percurrit tabes.*

Imo

*Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cum conjux viduata tadis
ardet & odit.*

Se

Senec. in *Med. Choro. Act. 3.* & puellam quandam vi-
 amoris mortuam recenset Schenck. *observat. medic.*
lib. 1. pag. 157. verb. Mania. Sic etiam ab ipsis Medicis
 inter furoris species refertur Amor teste P. Zach. *quest.*
med. legal. lib. 2. t. 1. qu. 16. hunc enim quandoque cau-
 sare furorem præter experientiam testantur. Boër. *dict.*
decif. 23. n. 75. Bentazol. *conf. 228.* Cothman. *consil. vol.*
1. resp. 15. n. 14. Chassanæ *in consuetudin. Burgund. n. 13.*
 Gail. *1. observ. 110. n. 23.* Wurmsler. *in nucl. controvers.*
lib. 1. contr. 34. ac pluribus, quod non videatur li-
 berissima voluntate consentire ille, qui amore captus
 usum rationis & sensum amisit, tradit Paul. Cypræus
de sponsal. c. 13. §. 63. & 64. per tot. Ni tamen clara ad-
 sint indicia ac firma habeantur argumenta, eaque judi-
 ciiis peritorum in arte medicorum suffulciantur, non
 præsumitur quis tanto amore illaqueatus, quia men-
 tis integritas est qualitas naturaliter cuivis inhærens,
 furor autem qualitas accidentaliter superveniens,
 qualia incerta ac dubia sunt, ac propterea probanda,
 Mascard. *de probat. conclus. 825.* naturaliter enim semper
 adesse præsumuntur D. Hahn. *ad Wesenb. de probat.*
num. 15. alioquin prætextu furoris quilibet sponsalia
 vocare in dubium atque infringere posset, quasi a-
 more captus, victus & insanus quid promiserit vel
 scripserit.

THESES. XIII. Si quis *nimia ira* commotus (quod *Nimia*
 fieri potest *v. gr.* inter fratres litigio orto, si unus *ira com-*
 sibi potest *v. gr.* inter fratres litigio orto, si unus *ira com-*
 motus *si*
 propterea animum applicuerit ad matrimonium con-
 trahendum) ipso fervore mitteret literas ad virgi-
 nem, inque iis offerret idem conditionem nubendi,
 quod virgo acceptaret, postmodum vero pœniteret

scribentem facti, num literæ istæ sunt obligatoria? Si immodica ita posset probari, dicendum videtur, literas ejusmodi non magis obligari scribentem, quam furiosum *arg. l. 148. d. R. I. l. 2. C. ad l. Jul. Maj. Colleg. Argentor. de testam. n. 6. Perez. in C. de sentent. pass. n. pen.* secundum illud Virgilii:

*furor iraque mentem
precipiant.*

Et nulla pestis humano generi plus nocuit, quam ira,
Seneca.

*Ebrius si
mittat li-
teras a-
matorias;
Distingv.*

THES. XIV. *Ebrius si mittat literas amatorias Distingv. erit: Num tanta fuerit ebrietate, ut neque mens, neque pes, neque caput suum recte facere quiverint officium; tunc quicquid scripserit ac promiserit, nihil valebit, hic enim furioso comparatur, Borcholt. de pact. c. 13. n. 14. arg. l. 6. §. 7. ff. de re militar. & voluntaria insania dicitur Seneca, & solo tempore a furore distat, Perez. ad C. de injur. num. 3. Zach. qu. med. legal. lib. 2. tit. 1. qu. 11. Wurmset. lib. 4. controuv. 2. & perjurus non habetur ebrius ac bene potus, quando id non servat, quod juravit, cap. 22. quæst. 4. Sin- autem profunda non adfuerit ebrietas, & solito plus adhibuerit, ut tamen ratione non fuerit destitutus, non minus ad literas amatorias concipiendas, quam ad ipsa sponsalia contrahenda habilis aptusque erit. Juxta Minum enim amor & vinum in tua sunt potestate antequam bibas: postquam biberis, tu es illorum possessionis & mancipii. Siquidem accidit haud raro, ut nonnulli, ubi vino & Zytho paulo incalverint, candidior animo res suas agant, quam si plane essent sobrii. Sane Persæ bene poti de rebus maximis & ferriis consultare consueverunt, Herodot. lib. 1. Non*

au-

autem sufficit dicere : se ita temulentum fuisse tantaque cœcitate laborasse, ut postridie nihil earum rerum, quæ pridie acta essent, recordaretur. Sapissime enim ejusmodi nauci homines exemplum Magistri amoris imitantur dicentis in epistola, quam Paris Helena misit :

Ebrietas ut vera nocet, sic ficta jurabit.

Fac titubet blaso subdola lingua solo.

Et quicquid dices faciesve protervius aequo,

Credatur nimium causa fuisse merum.

Ergo Testibus id probandum esse existimant Cypræus, qui ei adfuerunt, cum sese quis vino injurgitaret; ubi verba, quæ ebrietatem allegans protulit, sunt ponderanda, & uti alias sermo ejusdem, gestu aliique actus, gesticulationes, ingressus, probe considerandi; sic ex literarum formatione, (si solito deformiores, ac præter morem scribentis conceptæ sint) quantum fuerit ebrietas, colligere licet. Sin eveniret, (quod haud raro fieri solet) neminem, cum conciperet literas, secum habuisse, vel scripturam a solito minus desistere, pro circumstantiis arbitrio judicis determinandis juramentum injungi potest scribenti; quod se purget, ipsum eo tempore cum scriberet, tanta fuisse ebrietate, quod non intellexerit, quid egerit aut scripserit.

THESES. XV. Hæc de Personis scribentibus. Quod *Quomodo* ad Verba, quæ scribuntur, attinet, sciendum est: Verba in literis scripta accipienda esse juxta proprietatem sermonis, quam sequi decet judicem, nisi aliud scribentem voluisse aliunde perspicue constet. *in literis accipienda?* *l. 69.* *pr. ff. de leg. 3.* communis loquendi usus venit attendendus, seu prout vulgus sequitur, vel, ut alii volunt

volunt, secundum communem intelligentiam *arg. l. 52. §. 4. ff. d. legat. l. 3. l. 18. §. 3 ff. de instr. vel instrum. legat. Socin. reg. 536. in c. verba proprie vers. octavo fallit. Menoch. de arbitr. Judic. quest. c. 199. n. 11. Schmid. consil. Argentor. 18. n. 15. vol. 1. & quidem verba veniunt intelligenda secundum communem usum loquendi ejus linguæ, in qua porferuntur, cum aliam vim & potestatem habeant vocabula & dictiones in Latina, aliam in vernacula, aliam in Gallica &c. lingua, Ernst Cothmann. *respons. 50. n. 56. vol. 3.* communisque potius usus loquendi, quam propria juris significatio attendenda est, Scheffer. 3. *qu. 10. n. 10.**

Mea es : THESES. XVI. Q. Si quis amanter scripserit: *Mea quid im. es, Du bist mein/aut, Du solt mein seyn/an presuporter?* *matur matrimonium esse promissum?* Equidem eo casu sponsalia contracta cenferi nonnulli autumant, vid. Cypræ. *de sponsal. cap. 4. §. 12. num. 5.* In nostris tamen regionibus tritum illud, *Du bist mein/* singularem duntaxat aliquam animi affectionem in alium, vel erga aliam denotat; valde enim generalia sunt verba ista, nec tantum ad Conjugium, sed ad alia referri possunt, Cypræ. *d. l. c. 4. n. 5.* & ideo potius nude ac simpliciter, non de vinculo matrimonii accipienda sunt, juxta regulam, quod, quando unum verbum generale est, ut possit referri ad actum solennem & simplicem, intelligendum sit de actu nudo ac simplici *l. 19. §. 2. ff. de adil. edict.* Nisi præcesserunt vel subsecuta sunt alia verba mutuum consensum exprimentia, tunc licet ad matrimonium inferre, ut notabiliter consuluit Calcanæus *conf. 8. incipit, coram Rever. in 3. col.* cum verba præcedentia accipiant interpretationem ex consequentibus, per *l. fin.*

l. fin. d. hered. instit. ibique Bald. § l. 23. vers. & verbum
 ibiq; Bartol. ff. d. hered. petit. Jason. in repetit. l. 31. n. 28 ff.
 de jurejur. & in authent. si quis in aliquo n. 10. C. d. edend.
 Si epistola hæc continet verba: accipiam Te contra
 omnium sententiam: Ich wil euch habe und nehmen/
 die Leute mögen reden/was sie wollen/hæc sane pro-
 missioni sponsaliorum congruunt, neq; interest, quam-
 vis tempus non præsens, sed futurum respiciant, quip-
 pe secundum cap. ex parte 9. de sponsal. executiva fu-
 turum tempus respicientia de præsentis sponsalia con-
 stituere possunt, & ita B. Lutherus sentit: Es ist ein
 lächlicher Poss/ als solten verba de futuro: Accipiam
 Te, ich will dich haben/nicht binden. Nam idem est
 promitto me te habiturum pro uxore, ac si scribam:
 accipiam, seu accipio Te, Ich nehme dich.

THEs. XVII. *Literæ continententes verba:* Du bist Du bist
 mein herzallerliebstes und eigenes Herz auf dieser mein
 Welt/ vel, Ich wil dich nicht verlassen/num promissum herzhals-
 inducant matrimonium? Resp. Verbis istis non aliter in- terlieb-
 esse vim contrahendi sponsalia vel matrimonium, stes Herz
 quam si de consensu constet Beust. de jurejurand. tit. auf dies-
 8. part. 1. Hinc si tractatus sponsaliorum præcesserit, & Welt,
 talia verba in scriptis sint secuta, matrimonium con- quomodo
 tractum censebitur. Quibus de casibus intelligendus est accipien-
 Cypræus tractat. de sponsalib. c. 4. §. 12. n. 13. qui adjicit ver- da?
 bum *Nimmermehr*/ quod idem est, quod nunquam,
 vel perpetuo, vel in omne tempus, & si constet de con-
 sensu utriusque partis reciproco, cujusmodi exemplum
 addit ex Euripide in Oreste interrogante Piladem: Non
 deferens unquam sororem meam? & Pilade responden-
 te: Sororis tuæ conjugium nunquam deferam, matri-
 monium indubitato contractum censebitur.

C

THEs.

Es soll
uns nie-
mand
scheiden
denn der
Tod.

THEs. XIII. Eiusdem valoris verba sunt: Es soll
uns niemand scheiden denn der Tod. Uti apud Teren-
tium Pamphilius promisit se nunquam desertum Gly-
cerium.

Per omnes Tibi adjuro Deos, nunquam me eam
deserturum,

Non, nisi capiundos mihi sciam inimicos omnes
homines:

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores:

Valeant, qui inter nos dissidium volunt,

Hanc nisi mors mihi adimet nemo.

Sic verba: Wir seyn ein Leib und zwei Seelen / non
plane sunt nullius momenti, si enim ab utraque parte
unanimes consensu verba ejusmodi acceptentur, de quo
requisito infra, constantem amorem inde licebit ar-
guere.

Ich for-
ge, uns
möge
niemand
scheiden,
denn
Gott.

THEs. XIX. Dubium vero circa hæc verba putat
esse Cypræus d. l. c. 4. §. 12. n. 15. Ich forge / uns möge
niemand scheiden / denn Gott. un & circa hæc: Si vo-
lo ducere uxorem, Te ducere volo: Wenn ich hey-
rathē solte / wolte ich keine andere nehme / denn Euch.

Nullus hic declaratur consensus, qui tamen omni-
no necessarius est. Nec contractus ex alterius con-
trahentium voluntate dependere debet, sed utrius-
que consensum desiderat, sub hac conditione: si volam
ff. d. oblig. §. adl. Si verba ad amantiam scripta: Despon-
debo me, Tibi, si tibi bene gesseris, nihilquæ me in scio tra-
ctaveris, nihil certi constunt; Siquidem aliud est se-
se obligare, aliud promittere obligationem futuram:
Tu mihi sola places: magis locandi & applaudendi ani-
mo quis scripsisse præsumitur.

THEs. XX. Circa hæc & alia verba qualia etiam
sunt,

fiat, non nude, prout scripta jacent, sed mentes scriben-
tium potius sunt attendendæ; Si enim nec sponsalio-
rum ab iis mentio fuit facta, tantum abest, ut promissio
matrimonii queat induci, quin saltem tractatus arguan-
tur. Aliud vero est contractus, aliud promissio de
contrahendo, & aliud veritas, aliud jocus. Neque sufficit
figura verborum sine consensu naturali l. 38. de
oblig. & action. Baldus vol. 1. consil. 27. nec promittit statim
qui dixit, promitto, si jocandi causa dixit, nec agi
potest cum eo ex sponsu, Varr. 5. d. ling. & qui jocosè
agit, nihil ferri præstat l. 3. §. 3. ff. d. injur. l. 3. ff. d. servo cor-
rupt. Nicol. Rucker inter consil. matrimon. varior. tom. 2.
consil. 34. num. 14. cum jocosæ verba sint obscura, ambigua
& incerta, quæ multipliciter intelligi possunt juxta
tradita Baldi in l. 17. ff. d. legib. & in consil. 302. col. 2. lib. 3.
Aym. Cravett. consil. 415. n. 12. in causa vero matrimonii
& sponsaliorum non recipitur consensus ambiguus, sed
certus & clarus exigitur Cothm. resp. 86. n. 7. Corpzov.
Jurisprud. Consistorial. lib. 2. def. 19.

THESES. XXI. Sequitur nunc Effectus litterarum li-
terarum amatoriarum. Ubi dicendum est; per eas, si
habeant formalia epistolæ, nec careant subscriptione,
(cum sine hac facillime fraus adhiberi possit, Brederod.
in resol. insit. ad. §. 4. d. testam. ordin.) & contineant
promissionem, induci obligationem, modo promissio
talis sit, quæ per literas ejusmodi fieri possit,
Bartol. ad l. 24. n. 1. ff. d. const. pec. ibique Paul. de Castro
n. 2. & literæ istæ pervenerint ad eum, ad quem fuere
directæ, Paris. consil. 127. n. 23. antequam enim illi præ-
sentare, aut ab eo (cave) fuere acceptatæ, obligationem
contra scribentem pariunt nullam, Ripa in l. 31. n. 135.
in fin. ff. d. jurejur. Alciat. lib. 8. consil. 70. n. 5. per literas
accepta-

Mentes
scribens.
um sunt
attendendæ.

Quis sit
effectus
litterarum
amatoriarum.



acceptatas demum dicitur facta quasi quædam copulatio consensus duorum simultanei Bald. *in l. 2. ff. de pact.* & nunc demum inducitur obligatio. Tiber. Decian. *vol. 2. Resp. 109. n. 16. & 17.* ita tamen ut acceptans sciat, quid revera in literis istis contineatur *Clement. 1. in vers. scienter & Bald. in l. 1. ff. mandati.* nisi enim eas aperiat ac legat, & quidem non perfunctorie, sed cum aliquo temporis intervallo deliberataque mente contra ipsum nihil probant, Menoch. *d. arbitr. judic. quest. lib. 2. cas. 21. n. 5.*

Num accipiens literas, in quibus agitur de promissione matrimonii facta, si taceat, contra se faciat presumptionem.

THESES. XXII. Num autem accipiens literas amatorias, in quibus agitur de promissione matrimonii facta, si non contradicat, sed taceat, eo ipso contra se faciat presumptionem, ita ut omnia in iis contenta taciturnitate sua approbasse vineatur? Respond. Quamvis in præjudicialibus taciturnitas & patientia nequeat operari consensum; Quoniam tamen matrimonium etiam sine verbis contrahi potest, D. Præses *de annulo pronubo thes. 13.* nec de substantia matrimonii verba sunt, quod in mutuo & surdo patescit, taciturnitas ista & patientia conjuncta isti inducere videntur consensum & ratiabilitatem, Berlich. *part. 1. conclus. 36. num. 2.* in primis cum ultra ipsam taciturnitatem interveniat actus aliquis positivus, vid. Nicol. *de Passer. d. Script. privat. pr. 129 & seqq.* quo casu arbitrium judicis non excluditur, quanta scil. ex ista taciturnitate oriatur præsumtio, add. infra *Thef. XXV.*

Si quis neget a se literas esse scriptas, in situenda est literarum comparatio.

THESES. XXIII. Si quis neget, se literas amatorias contra se productas scripserit, instituenda est judice literarum comparatio, h. e. alia proferunt instrumenta, vel duæ pluresve scripturæ & per judicem & viros peritos inter se conferuntur, ut earum similitudo vel di-

diversitas appareat. Circa quod comparationis re-
medium est notandum, ad comparationem nunquam
deveniri, nisi reliquæ probationes omnes nos destituant.
Brunnem. ad l. 20. C. de fid. instrum. Ubi quæritur:
*Num ista comparatio plenam, an minus plenam inducat
probationem?* Respond. Quoniam literarum compara-
tio falla est, & facile possunt fallificari literæ ab ab-
sente missæ, adeo ut reperiantur quamplurimi; qui
ita aliarum manuum literas atque characteres in scri-
bendo vere imitantur, ut vix alteram ab altera etiam
peritissimus quisque recognoscere possit, Zasius lib. 2.
sing. respons. cap. 2. Ruland. de commissar. part. 2. lib. 5.
cap. 38. in pr. quemadmodum refert Trentacinquius
lib. 2. varia. resol. 7. n. 6. fuisse Romæ tempore Pontifi-
catus Papæ Pii V. quendam, qui ita adulterare poterit
manum Summi Pontificis, in his, quæ expediri sole-
bant per Datariam, ut etiam Sanctitas sua vix recogno-
verit manum suam ab illa, nec etiam Datarius. Addit
tamen: Hoc scelus tantum fuisse detectum illumque
caprum, laqueoque suspensum; addatur Joseph. Ludo-
vic. decis. Perus. 7. n. 15. aliud ejusdem imposturæ exem-
plum lege sis apud Ritterhuf. d. differ. jur. civ. & Ca-
non. l. 4. c. 14. Mascard. d. probat. vol. 2. conclus. 330. Pru-
dentibus comparatio literarum merito suspecta visa
fuit ac periculosa, imo fallax, Ruland d. commiss. d. l. Fran-
cisc. Marcus quest. 937. part. 2. Ut proinde comparatio
ista minus plenam inducat probationem. Thesaur. lib.
1. quest. forens. c. 24. n. 20. Covarruv. pract. quest. cap. 22.
tom. 2. n. 7.

THESES. XXIV. CASUS EST: Caja producente ^{Quando}
literas amatorias contra Titium; Hic negat istas a se ^{quis ne-}
fuisse scriptas. Alia documenta seu scripturæ, cum ^{gat lite-}
^{ras a se}
^{qui-scriptas?}

nec existunt alia documenta, num iudex producam ad scribendum compellere possit?

quibus comparari possit litera producta, non extant, Q. Num iudex negantem suam scripturam compellere possit ad scribendum, ut inde fiat comparatio? Resp. Licet iudex in defectu ordinariarum probationum ad extrema recurrere non prohibeatur Nov. 73. c. 1. & ejusmodi scriptura cum fiat ad requisitionem iudicis, videatur facta apud acta, dicendum videtur, affirmativam esse amplectendam, vid. Menoch. Arbit. jud. quest. conclus. 114. n. 29. Cardin. Tusch. conclus. 483. n. 4. Ast, quoniam ob facillimam manus mutationem talis comparatio veritati parum velificatur, arbitrio iudicis rem hancce remittimus, qui hanc adhibebit cautelam, ut quo vultu ac varietate animi corporisque is, qui scripturam a se factam negat, scribat, sedulo observet, Ruland. d. Commiss. part. 2. lib. 5. c. 39. num. 7.

An iuramento locus sit?

THESES. XXV. Verba in literis amantium dubia posita, quæ in utramque partem, tam pro matrimonio promisso, quam non promisso accipi possunt, in dubio magis pro matrimonio sunt interpretanda, modo præcesserint actus qui sponsalia inducant, alias potius pro libertate pronuntiandum esse videtur. Veritati consentaneum est, quod Francisc. Vivius decis. 241. n. 19. p. 2. & P. Emil. Verald. lib. 2. decis. 211. n. 19. dicunt, literas amatorias non probare matrimonium contractum, sed bene contrahendum. Quas circumstantias omnes prudens iudex ponderet necesse est, ita ut pro earum qualitate quandoque Juramentum impositionem rem determinare possit. Hinc fit, ut aliis concurrentibus juramento uni alterive parti possit imponi hac formula: Bürde Kläger/daß ihm Besl. die Ehe zugesaget/vermittelst Endes/bestärcken/so erscheinet aus denen Acten so viel/daß Besl. ihres Einwendens unge-

geachtet/das mit Kl. getroffene Verlöbniß gewöhnlichen Brauch nach mit dem Christlichen Kirchgang zu vollziehen schuldig/te. *juramentum enim in supplementum admittitur, quando pro matrimonio jurari vult, modo concurrant præter semiplenam probationem etiam præsumptiones urgentes, Hilliger lib. 24. Donell. enucl. c. 10. lit. 7.* Imo si vel una gravis præsumptio pro actore in causa matrimoniali pro contracto probando se exferat, eidem juramentum (præsupposita etiam probatione semiplena) deferri potest *arg. s. fin. §. fin. X. d. jurejur. Beust. d. spons. c. 42. §. 1. §. fin. c. 43. §. 44. ubi adeo etiam de adminiculanti fama. Berlich. l. 1. conclus. 39. n. 16. juncto Mollero ad Const. E. lect. Const. 23. n. 16. seq. neque dubium est, quin etiam imperfectæ probationes jungi debeant, quando de probando matrimonio agitur Mascard. d. probat. conclus. 1034. n. 23.*

THESES. XXVI. Quid? Si una cum literis amatoris *Si una mittatur annulus, an exinde possint sponsalia inter a cum literamantes probari? D. Præses in tract. de Annulo Pronuboris amatoris* *ehes. 26. distingvit: Aut literas esse missas una cum Annulo, ea intentione verbis que ad eam conceptis, quod mittatur annulus, an exinde de probentur sponsalia?* *Ich schicke euch hiermit einen Ring zu einem gewissen Zeichen meiner rechten und redlichen Liebe/und damit euch und keine andere zu meinem Eheweibe zu haben/und Euch hiermit zu vermählen/und zu nehmen/ eo casu virginem literas cum annulo accipiens, licet nihil responsi dederit, propter taciturnitatem, quæ equiparatur consensu, obligari. Aut literas nullas nullam facere mentionem affectus conjugalis, tunc quamvis annulus adsit,*
ad

ad probationem tamen promissi matrimonii nihil valere.

Agendum est de la- scivo amo- re.

THESES. XXVII. Hactenus de literis, quæ honestum amorem præ se ferunt & probant, vel saltem præsumtionem faciunt in puncto sponsaliorum, dixisse sufficiat. Sequuntur nunc literæ, quæ lascivium & inonestum exponunt amorem. Ubi brevibus dicendum erit, quatenus in eâ casu stupri vel adulterii commissi vel committendi aliquid operantur.

Declaratio turpis amoris in quonam consistat.

THESES. XXIX. Consistit autem declaratio turpis amoris literis facta in eo, ut quis vel ambiat sibi que conciliare studeat amorem illicitum, vel gloriatur seu fateatur in iis rem illicitam cum altera persona exercuisse. Priori casu inpudica ista sollicitatio nihil aliud est, quam attentatio pudicitia & contumelia seu injuria scripto facta. Non minus enim valet quod literis, quam quod lingua occupatur, aut vocibus lingua figuratis significatur *l. 83. ff. d. obl. & act. late Gœddeus cap. conclus. 10. n. 149. & cap. 3. n. 190. cum seqq. conclus. 13. C. d. contrab. & committ. stipul.* Nec obstat, quod ejusmodi sollicitatio videatur non fieri malo animo & dolo, sed ex affectione seu amore. Resp. omnino dolum adesse, cum sit amor perversus, illicita captans, & nihil nisi calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum v. g. honestam foeminam eamque re pretiosissima; pudicitia scil. defraudendam. Sicuti vero injuriam infert, qui invitæ osculum obtrudit, D. Struv. *Syntagn. jur. civil. exercit. 48. thes. 58.* qui tamen non excusandus venit, si excipiat, id se amoris causa fecisse, sed puniendus est tanquam injurians, uti pronuncia- vit Facult. Jurid. Lipsiensis teste D. Strauch. *dissert. ad ff. 19. ib. 14.* Ita quoque literas ejusmodi mittens, (qui sicu-

sicuti osculans ex subitaneo motu quid perpetrat, ita hic deliberato mali sui animi sensa exponit) a pœna immunis non est. Hinc Vasallum si Domini uxorem per literas amatorias, munuscula, vel id genus alia, ad expugnandam pudicitiam sollicitet, feudo privandum esse tradunt DD. *arg. 2. feud. 24. & 1. feud. 5.* ubi verba *concumbere se exercuerit* ita interpretantur: *quantum in ipso ad delictum pervenire studuerit. v. g. corrupta familia & custodibus, missis literis amatoris fere penetraverit.* Schenk. Baro *addit. num. 11.* Magnif. D. Struv. in *Synagm. jur. feud. cap. 5. n. 9.* ibi: *concumbere conatus fuerit, vel etiam ad concubitum per literas amatorias, muscula &c. sollicitaverit.* Ludvvelli. *Synops. juris feud. 6. c. 16.* Boccr. *class. 4. disp. 17. th. 44.* D. Gravius Jctus Tubingensis in *dissert. d. feloniam cap. 4. th. 21.* D. Rhetius in *Comment. ad jus feud. comm. lib. 1. tit. 5.* ubi tamen audit; quod Vasallus feudo non privetur, si conatus adhuc fuerit innocuus vel sponte destituerit a proposito *arg. 2. feud. 51. §. si voluerit*, Baro Schenk. *d. l. n. 12.*

THES. XXIX. Caveant vero Conjugati ne mittant literas amatorias, in quibus vel species nimii, quam sat est, favoris continetur, ad extraneas personas; Illæ enim productæ vel fortuito repertæ nil nisi rixas, odia & suspicionem, quæ est venenum amoris conjugalis, concitant; Zelotypia enim seu diffidentia fidei conjugalis summopere disturbat amorem, qui effectus omnium sceminini sexus affectuum supremus esse traditur a Scalig. 3. *Poët. 14.* interque mulierum proprias & peculiare animi perturbationes Zelotypiam reponit Plurarch. *lib. d. tranquill. anim. D. Præses dissert. d. frigusculo cap. 3. th. 13.* Et Conjugum familiaritatem nimiam

D

Conjugati ne mittant literas amatorias ad extraneas personas.
vel

vel pravia colloquia cum extraneo habita vel oscula
 ab alio infixæ ægre si ferat, vitio verti nequit; multo
 magis non improbandum, si ejusmodi commercium
 literarium sibi displicere testetur. Ubi Quæritur: Num
 maritus uxorem literas ad alium Amatorias scribentem
 literas a-inveniens, ei alapam infligere possit; & vice versa, num
 scribenti uxori a-lapam infligere possit? Quoad
 priorem casum Respondetur: Circumstantias pruden-
 ter esse considerandas. Ita, ut si ex simplicitate quid
 committat uxor, verbis corrigenda sit; sin malitiose id
 facit, ut sic culpa uxoris præcesserit, marito alapam
 infligendo jure suo utens, injuriam fecisse non dicen-
 dus est l. 13. §. 1. ff. d. injur. & melius est prævenire, quam
 post vulneratam causam remedium quærere. Paria
 quippe sunt scribere literas amatorias, vel viris extra-
 neis convivari, vel extra ædes noctu manere, nisi in
 hoc differat, quod hicce actus turpitudini fenestram
 proprius aperiat, illa vero tanquam remotiores occa-
 sionem potius anhellare censeantur. Ob istas uxorem
 alapam a marito excipi posse arg. Nov. 117. c. 8. asserit. D.
 Stryke differt. de alapam cap. 2. th. 8. Quoad casum po-
 steriorem uxor marito alapam infligere non poterit,
 cum huic subjecta sit, vid. D. Stryke cit. l. n. 19. sed alio
 modo remagredi necesse habet,

Num li-venire ad uxorem, num has marito indicare consilium
 teras scri- sit? Sane bonus videtur esse affectus fidei suæ signum
 ptas uxori dare, & mariti animum quietum ac tranquillum red-
 marito dere; Effectus tamen iste malus est, Judicio Guazzi d.
 indicare debet? civil. conversat. part. 7. uxor maritum sollicitat, eidem-
 que dubitandi occasionem suppeditat, ne hunc reve-
 lan-

lando amorem, aliam occultet: & quod pejus est, cum
maritum, tum amatorem in periculum conjicit. Pru-
denter facit literas istiusmodi dilacerando vel com-
burendo. Notatu dignum est, quod scribit Borell. *in*
summa decis. fol. 2. tit. 23. ad. fin. Scio, inquit, quandoque
virum aliquem reperisse tales literas in posca mulieris,
ac illam, ut se excusaret, viro dixisse, se recepisse qui-
dem, literas indignabundo animo, & retinuisse, ut illi
manifestaretur mittentis pravum animum, & in ambi-
guo sub silentio occultasse, ne ipsum virum in vindi-
ctæ discrimen & pericula induceret, & hæc virum cre-
didisse, & subsequuta fuisse plurima homicidia, ac do-
mum ac familiarum everfiones, sed Deus scit, quan-
ta operentur pravæ mulieres. Si mulier hæc immu-
nis ab adulterio erat, nec illa sollicitanti consentiret,
poterat se domi retinere, & literas flammis tradere,
& sic immunem se præservare. Penes se itaque tot li-
teras conservasse, mittentis amore factum fuisse vide-
tur, sed tamen, ut ipsa mortem evitaret, suo amatori
mortem peperit, & sic amatori mortem peperit, & sic
amor in odium versus est.

THESES. XXXI. Q. Num litera amoris ad femi-
nam missæ adulterii vel stupri sint indicium? Constat in-
dicia (quæ sunt argumenta rem propositam, propria
sua vi & natura probantia *l. ult. C. d. probat. l. 7. in fin. C.*
ad. L. Cornel. d. adult.) duplicia esse: Alia certa & indu-
bitata luceque clariora *d. l. ult. C. d. probat.* Alia ve-
rissimilia & probabilia tantum, quæ plerumque verum
arguunt illud, de quo quæstio est *l. 3. §. 1. C. d. que-*
stion. Quod literas amatorias attinet, illæ non magis
ac osculum, in quo major pene militare videtur præ-
sum-

Num li-
tera a-
matoria
ad femi-
nam mis-
se adul-
terii fa-
ciant in-
dicium?

sumtio ad certa & indubitata indicia vix possunt referri. Distingvendi tamen sunt casus : Aut enim scribens fateatur in iis literis stuprum vel adulterium commissum, dum gloriatur de facto isto inhonesto, vel describit illud circumstantialiter, uti loquantur, ita ut ex illis delicti confessio percipiatur, & tunc, eas, (quoniam stupra, adulteria, quæ clam & occulte solent committi Menoch. *d. arbitr. jud. quæst. l. 2. cap. 116.* difficultis sunt probationis & ac præsumptionibus & conjecturis recte probari possunt Mascard. *d. probat. concl. 57. n. 6. & 7.*) facere præsumtionem copulæ carnalis tradunt Hostiens. *c. præterea n. 5. X. d. testib.* Menoch. *l. 5. d. presunt. pres. 41. n. 39.* Parisius *consil. 54. n. 64. vol. 4.* Zancher. *d. questionib. & tortur. cap. 2. n. 212.* Boccr. *tr. d. tortur. c. 3. n. 113.* Uti enim per epistolam obligatio inducta probatur, Aym. Cravetta *d. antiquit. temp. §. vidimus abunde, part. 1. n. 39.* Mascard. *vol. 2. d. probat. conclus. 626. n. 7.* Sic dubitari non debet, quin eodem modo per epistolam scribentis, qua confessio adulterii perpetrati continetur, ipsum adulterium probetur, saltem ad effectum quæstionis, de eo, qui scripsit epistolam, habendæ, aliis conjecturis *d. quibus in artic. 25. Sanction. Carolin. concurrentibus* Sanchez. *d. matrimon. lib. 10. d. divort. disp. 12. qu. 3. n. 48.* relatis DD. hinc inde contrarium tenentibus, concludit, quod si scribens in literis amatoriis fateatur fornicationem, talis confessio tanquam extrajudicialis nil faciat, nisi indicium ad torturam. Sunt quidem Jcti, inter quos est Nicol. de Passerib. *d. privat. scriptur. lib. 3. pag. mibi 526.* qui arbitrantur, quod si mulier proprium adulterium fateatur, quod raro convenit, nisi impudentissima sit, contra ipsam

ipsam confitentem adulterium plene probetur. Nos tamen existimemus tenorem literarum esse inspiciendum ac decisum iudicis arbitrio esse committendum, prout etiam Menoch. l. 5. *presumpt.* 41. *num. fin.* existimat: Aut enim in literis requiritur v. gr. vir a muliere, ut ad eam accedat, & tunc futurum, non præteritum adulterium argui tradit Menoch. *presumptio.* l. 5. *pres.* 41. *num.* 29. in dubiis enim semper benignio sequenda est sententia l. 155. §. *ult.* l. 168. §. 1. *ff. d. R. I. l. 20. ff. d. reb. credit.* sunt tamen & hic circumstantiæ ponderandæ, num circa illud tempus, quod forsan congressui definitum est, per literas invitatus fuerit absens, & num eas personas alii homines viderint in loco suspecto, num manibus invicem sese tenentes ambulaverint, & si quæ sunt alia; quæ omnia prudentis iudicis arbitrio committimus.

THES. XXXII. *Adulterio per confessionem reæ* Num *di-*
partis literis emanatam satis probato, quaritur, num di-
vortium quoad vinculum matrimonii, num quoad thorum quoad
& mensam sit concedendum? J. Fichard. *conf.* 69. in causa *vinculum*
 adulterii a Comitiſſa commiſſi ita responder: *matrimo-*
 Ob der Ehebruch durch der brüchigen Person eigene schrift- *nii conce-*
 liche und mehrmahls gethane Commission zu recht *dendum?*
 gnugsam/und so weit bewiesen/das E. Gn. als der
 unschuldige Theil/von derselben der Ehe halben le-
 dig gesprochen/ und E. Gn. sich nach Christlicher
 Ordnung anderweit zu beſtatte vergönnet und zu-
 gelassen werden solt? Drauff antworte ich/das ich
 gänglich dafür halte/das durch obberühite Schriff-
 ten und Miſſiven/wann dazu die Personen/so
 D 3 hievor

hievor darüber (doch außserhalb Rechtens u. unbe-
endigt/u. also nichtiger Weise/doch allein umb der
Sachen Berichts von ihne zu vernehmē) in Stand
Rechtens förmlicher Weise abgehört/und dieselben
aufvoriger ihrer Sage bestehen würde/der ange-
zogene Ehebruch gnugsam möchte erwiesen/u. dar-
auf die Ehescheidung begehrt/auch erkennet werden.
Denn ob wohl Sie/Julia, ihrer voriger Schrifftli-
cher Bekänntniß abfällt/und dieselben/ als seyn Sie
listiglich und durch falsch Bereden/ auch wohl mit
Gewalt von Ihr extractirt und gebracht worden/
zu vernichten untersteht/ wie aus ihrem Schreiben
sub litera H. zu sehen/ so würde doch solches Sie
nichts fürtragen/dieweilsn deren Schreiben zu viel/
u. unterschiedliche auf einander ergangen sind/wel-
che in sich selber verdächtig/u. einiger Zwang dar-
aus nicht mag verargwohnet werden/wen den der
thätige Ehebruch auch durch die obgedachte Zeugen
bekundschafft wird/und also eins dem andern admi-
niculirt, so hielt ich (wie obgemeldet) dafür/ daß es E.
Gn. zu der Beweisung gnugsam seyn würde/ auch
daß E. Gn. auf die selbige die Ehescheidung wohl be-
gehren möchten. Ubi porro deducit, quod Canonistæ
separationem matrimonii ob adulterium permittant
quoad mensam thorumq;, Consistoria tamen Augustanæ
Confessione addicta quoad ipsum matrimonii vinculum
separationem concedant, ita ut parti innocenti per-
mittantur secundæ nuptiæ, prout deducit Beza in
tract. de repud. & divortis. Ita tamen, ut mediante
judicia cognitione fiat separatio & concedatur se-
cundum matrimonium, sic enim Philipp. Melancht.

*in libr. d. Conjugia scribit: Non sunt autem facienda
divortia sine cognitione legitimorum iudicum, sed per-
sona innocens, si vult fieri divortium, petat a iudice vo-
cari personam, qua deliquit.*

THES. XXXIII. Et ultimo tandem, *Qua-* Num ul-
do quis misit literas amatorias; in quibus amasiam ^{teriori}
suam vocaverat *mein Herzgen* / vel alio dulci ver- ^{probatio-}
bo, & amabiliter conversatus cum ipsa, postmodum ^{ne defici-}
vero hæc se imprægnatam ab ipso dicat, imo ma- ^{ente scri-}
trimonium ipsi fuisse promissum affirmet, hic vero ^{benti ju-}
factum neget, num *ulteriori probatione deficiente* ^{ramen-}
scribenti iuramentum purgatorium deferri possit? ^{tum pur-}
firm. Quia contra scribentem, aliis imprimis con- ^{deferri}
currentibus adminiculis, militat præsumtio; & in ^{possit?}
dubio foemina a masculo ad concubitus illicitos
persvasa præsumitur; imprimis si mulier alias ho-
nestæ vitæ fuerit. Num autem tale stuprum blan-
ditii & persvasionibus conjunctum, pro violento
reputandum sit. Q. ? Pro violento pugnant De-
cian. *tract. criminal. tom. 2. tit. d. rapt. cap. 7. lib. 8. n. 7.*
Et cap. 15. tit. de stupr. Menoch. d. arbitr. judic. quest.
lib. 2. cas. 288. num. 10. in fin. Tusch. pract. conclus. tom.
6. conclus. 322. num. 4. Et tom. 7. conclus. 7. n. 2. Ve-
rum durior hæc videtur esse sententia, cum ea ad-
missa in omne ferme stuprum poena mortis veniret
statuenda; vix enim datur, in quo ex parte supra-
toris fallaces persvasiones & promissiones non in-
tervenerint. Bossi. *tit. d. coit. damnos. Et punib. num.*
66. vers. sed adverte. Jure Consistoriali Brandenb.
specialiter est constitutum, illum, qui puellæ stu-
prum blandis verbis persvaserit, etiam promissio-
ne

ne matrimonii non facta, ad ducendam stupratam
teneri, aut extraordinarie puniri debere asserit D.
Stryke d. jure blanditiar. cap. 6. r. 54. ubi vera *Ordin.*
Confessor. tit. 62. §. 1. allegat: Wenn von der geschwäch-
ten Personen/oder ihren Eltern und Freunden kö-
nte ausgeführet/ und dargethan werden/das der
Beyschläffer Sie zu solchem Laster mit süßen Wor-
ten/mit oder ohne Vertröstung der Ehe beredt/ soll
der Thäter die geschwächte Person zu nehmen
schuldig seyn/oder in Wegerung dessen/ Vermöge
der Rechten/ gestrafft werden. Hac de materia
literarum amatoriarum dixisse suffi-
ciant.

T A N T U M .



Zecca, Diss., 1679 M-2

ULB Halle

3

005 360 82X



V 17







1679,22^c 17.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

LITERIS AMATORIIS,

Vulgo :
Von Liebes-Buhlen-oder Jung-
fer-Brieffen in und auſſer der Ehe.

Quam
PRÆSIDE
PETRO MÜLLERO D.
ET PROF.

ad d. Mart. 1679.
publice ventilandam exhibet
BERNHARD Pfresschner/
GERA VARISCUS.

EDITIO SEXTA.

J E N Æ,

TYPIS HELLERIANIS , ANNO 1717.